Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26143
Copyright: Admont, Benediktinerstift

mandentem. quam bibentem absque opera delectabit. tanquam utique potus non
esca. Denique habes spondentem in evangelio. quod non bibam de hoc genimine vi
tis inquit. non bibam illud novum vobiscum in regno patris mei. et de cibo nul
la mentio est. Sed apud prophetam quoque legitur tanquam potens crapulatus a vi
no. de cibo autem nichil ibi penitus invenitur. Sponsa quoque conscia myste
rii huius. cum dilectum pasci inter lilia percepisset. et prohibuisset. constituit
terminum. quo ad id dignaretur. immo constitutum agnovit. et prohibuit dicens.
donec aspiret dies. et inclinentur umbre. Sciebat enim iumentis eum post
hac potandum vero pocius quam pascendum. Convenire videtur et consuetudo qua
post cibum potus sumi de more solet. Ergo qui hic manducat. illic
bibet eo tunc suavius quo securius gustaturus. et ea ipsa que scrupulosius
modo et quodammodo laboriosius quasi mandendo liquatur. Hunc iam intendamus
considerare de die illo. et illis umbris. quis ille. que iste. ille qua ratione
aspirans. he in qua potestate habent inclinari. Signanter omnino dictum
donec aspiret dies. immo singulariter. Solo quippe hoc loco ni fallor diem
aspirantem reperies. Aure nempe non tempora spirare dicuntur. Spirat homo.
spirant cetera animalia. quibus indesinenter reciprocatus aer vitam continuat.
Et quid hoc non ventus? Spirat et spiritus sanctus. et inde spiritus. Quo pacto ergo dies spi
rans. qui nec ventus. nec spiritus. nec animal est? Quamquam nec spirans quidem.
sed quod signantius sonat aspirans dictus sit. Nec minus preter solitum dictum. et
inclinentur umbre. Denique ad exortum huius corporei visibilisque luminis um
bre non inclinantur. sed adnullantur. Extra proinde corpora querende he res.
Et si quidem spirituales invenerimus dies et umbras. et forsitan et inclinatio
harum et illius aspiratio. facilius elucebit. Qui illum diem de quo propheta dicit.
melior est dies una in atriis tuis super milia. corporeum opinatur. nescio
quid iam non corporeum opinetur. Est et in mala significatione dies cui ma
ledixerit propheta. Absit autem ut eam visibilibus his quos fecit dominus. Itaque spiritua
lis est. Iam umbram quis ambigat spiritualem qua Marie obumbratum est
concipienti. et item eam que in propheta sic memoratur. spiritus ante faciem nostram christus
dominus. sub umbra eius vivemus inter gentes. Ego tamen umbrarum nomine hoc
loco magis arbitror designatas contrarias potestates. que non modo umbre
vel tenebre. sed et principes tenebrarum ab apostolo perhibentur. simulque inheren